



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis Schildi[i] De Caucis

Schild, Johannes

Lvgd. Batav., 1649

Cap. IV. De terrae indole. Cyri dictum, aspera terrarum laudantis. Vniversa quondam Germania rigoris atque tristitiae filia. Ingenia hominum ad similitudinem coeli solique sui horrere. Chauciae ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-13007

junctim eos, nulla aliorum interposita populorum mentione, delibat. Eidem verò maximo virorum assentior, eosdem esse divinanti Campsianos, qui deinceps Ampfanorum nomine, eorum innectuntur recensio, quos, velut ulciscendo domitos Quintilio, populo Romano triumphator Germanicus exhibuit. Sicut Australis Hollandia Rhinlandiam videt ac Maeslandiam, nec non regionum plures suorum aliquid secernere comperiuntur arborum, cui ex flumine, quo lavantur, induere privam liceat appellationem: ita pars Frisię Orientalis, quam lambit Amasus, Aemslandię domestica notescit indigitatione. Hanc oram Strabonis impleverunt Ampfani, sive laxiùs malis, Amasani, Minorum portio natióve Chaucorum.

C A P. I V.

De terrę indole. Cyri dictum, aspera terrarum laudantis. Univerſa quondam Germania rigoris atque tristiſtia filia. Ingenia hominum ad ſimilitudinẽ cœli ſolique ſui horrere. Chaucia telluris antiquus horror. Politicorum ſententia, de urbibus in ſterili tenuique ſtruendis. Gallos, Cauconum ſedibus infuſos, Aſiatici ſoli luxuria fregit. Vultus terrę noſtrę, qualem nunc gerit, exhibitus. An vinum ferre queat, anquiſitum. Commerciũ patet, in Oceanum projecta. Ut alia omnia, ſic terram quoque ſuas experiri vices & immutationes.

PERSIS quondam, rerum ad se translata sum-
 ma, contendentibus, ut horrenti, quod
 tum fatigabant, solo lætius aliud ac felicius
 mutarent, annuit quidem Cyrus, sed admoni-
 tis, ut dehinc succumbendum sibi, profligata
 virtutis æstimatione scirent: φιλέειν γὰρ ἐν τῇ μα-
 λακῶν χώρων μαλακὰς γίνεσθαι· ἔγάρ τοι τῆ αὐτῆς γῆς εἶναι,
 καρπὸν τε θωύμασθον φύειν, καὶ ἄνδρας ἀγαθὸς τὰ πολέμια.
 Id est, *Ex mollibus enim regionibus molles homines
 nasci solere. Neque enim ejusdem esse terra, fru-
 ctum egregium producere, & viros in re bellica præ-
 stantes. Quemadmodum in fine operis testa-
 tum Herodotus reliquit. Non poterat igitur
 aut Chauco, aut ulli ceterorum exprobrari
 Germanorum patria informis terris, aspera cælo,
 tristis cultu aspectûque, vel, quæ truculentior An-
 nal. II. nostrarum exstat descriptio terrarum,
 truculentiâ cæli præstans. Enimvero locorum a-
 speritas hominum quoque durat ingenia, &
 fortior miles è confragoso sterilique, quàm ex
 miti ac delicato venit, in quo Cereris & Bac-
 chi certamina visuntur. Itaque Mattiacos, in
 mediterranea sitos Germania, quos neque ma-
 rinarum sævities afflabat aurarum, neque ni-
 mis Aquiloni propinquum frigus adurebat,
 terræ tamen suæ solo & cælo acrius idem Ta-
 citus affirmat animari. Quod potiori jure dici
 credique de Chauçis oportet, quos & Oceani
 pulsan-*

pulfantis tumor, & major Arcti vicinitas, ad dignam viris firmare potuit obstinationem. Præterquam quòd ubique paludum uligines, & inculta prospicerent ericetorum, atque in patria, nîl nisi patriam viderent. Pulchrè autem scriptor rei militaris Vegetius lib. I. c. III. *Nescio sanè, quomodo minùs timeat is mortem, qui minùs deliciarum in vita novit.* Ac fuerunt inter civilis sapientiæ primos, qui, ut temperantiam luxui, lasciviæque duritiem novorum civium anteponeret affluxus, malignis in locis & λεπτοχαισις, sicuti concinnè brevilocus Thucydides vocat, urbium auspicanda fundamenta differerent. De Gallis, qui priscis Caucorum sedibus incubabant, egregiè consul Romanus, apud Livium lib. xxxviii. *Duratos eos tot malis exasperatósque accepit terra, quæ copiâ rerum omnium saginaret. uberrimo agro, mitissimo cœlo, clementibus accolarum ingeniis, omnis illa cum qua venerant, mansuefacta est feritas. Vobis me hercule Martis viris cavenda ac fugienda quamprimum amœnitas est Asiæ.* Paria de iisdem Gallogræcis in Epitoma rerum Romanarum Florus, lib. II. cap. XI. *Vt frugum semina mutato solo degenerant, sic illa genuina feritas eorum Asiatica amœnitate mollita est.* Non est tamen aut soli sustinentis, aut cœli tanta potentia lustrantis, ut viribus uti suis, & citra talia, exferere sese

liberrimarum natura nequeat animarum. Ista modico quidem, ac non planè nullo, circumagere nos impulsu queunt: imperium possidet corporis, omniumque functionum, sed imprimis sui dominus atque dictator animus. Est ubi mollissima tellus, clementissimumque cœlum strenuos produxerit ac Martiæ claritudinis amplexatores: alibi tristities atque squalor utriusque defidiosos aluit & enerves. Aliquando præruptarum rupium, & horrentium vagus incola sylvarum, venienti cessit ab Italia bellatori, ultrò rigorem suum barbaris inferre gestienti. Quamobrem non est quòd ingrata felicitatem nostram elevemus interpretatione, parentisque naturæ sic accipiamus immutationem, ac si pro aspera iniquaque facilem se benignamque præbendo, moribus insidias animisque struxisset. Sanè aër hodie neque nimio coctus ardore cœlesti, neque frigoris intolerandi, damnatus, optabili fruitur utriusque temperatione. Tepidæ sunt æstates: Libitinæ sacerdos autumnus non magis, quàm alibi, valetudini metuendus incolarum: verni temporis haud adspernanda varietas spectatur amœnitatum: ipsæ verò hyemes, quò plus rigoris ab imminentis astri trahunt inclemètia, eò puriores, & hominum sunt saluti conducibiliore. Solum frugum herbarumque, magna sui parte,
patien-

patientissimum, fecundissimum. Hortensem non multa fallunt olera culturam: advigilantem rara messis decipit aratorem. Non collium flexa requiras, non porrecta camporum: sed minimè omnium, immensorum latè viridantia desideres æquora pascuorum. Qua quidem gloria à multis retrò seculis Chauco- rum superbiit tellus atque enituit. Hinc Carolus Magnus in Diplomate, quod ad annum D C C L X X X V I I I. in Nemetensi cusum palatio, Bremensis exstitit initium atque fundamen- ti Episcopatus: *Septentrionalem Saxonie partem, quæ est piscium ubertate ditissima, & pecoribus alendis habetur aptissima, pio Christo, & Apostolorum suorum principi Petro pro gratiarum actione devotè obtulimus, sibi que in VVigmodia in loco Bre- mon vocato, super flumen VVirraham Ecclesiam & Episcopalem statuimus cathedram.* Vinum propitia negaverit, an irata natura, turba dubitet abstemiorum. Neque tamen affirmaverim, sicuti nulla heïc conspicimus, ita neq; ulla posse lætitiæ datori Baccho torcularia dicari: quis enim extremam patrii tractus vim aut scrutatus est hætenus, aut periclitatus? Diu posteros Chauco- rum generosi liquoris haud perinde usus affecit, humore ex hordeo aut frumento in quandam similitudinem vini corrupto, si- tum expugnare doctos. Et, nî majorum insci-

tiam politior posterorum correxisset ætas, tota nunc non suum Germania vinum biberet: quippe quam, scriptorum florente manu Latiorum, penitus ignaram fuisse vindemiarum scimus. Chaucos verò meos, vineaticę tentantes eventum consitionis, nec terra videtur interpellatura, nec cœlum. Licuit enim observare, colles eidem ferè climati, quod Chauçi cõntuentur, nobilium esse genitores altorésque vinorum. Nec soli genus, quale vitibus pangendis lib. II. Tit. XIII. Palladius, & lib. III. c. XI. atque ex Julio Græcino cap. XII. Columella, deprecant, solum deserit destituitque Chaucorum. Denique botri pergularum vitium ac compluviatarum, quas creberrimas in iisdem lætissimásque videmus, ad eam gratæ dulcedinem maturitatis accedunt, ut aufuris, & sensim proficientes exspectaturis annos, haustum sui, pro suctu, polliceri videantur aut spondere. Nempe falsò plerumque loco credimus negatum, quod nostra loco diffidentia negat, nondum genio ejus, artibus admotis, & industriâ, placato. Veruntamen etiamsi Chaucidi negetur, apud se natam prælo domitare vitem, solari se tamen abundè præclaro situ sui potest, exoticis opportuna commerciis, & aut destinandis aliò subsidiis, aut opperiundis aliunde, in Oceani cupidissimè profiliens amplexus.

plexus. Hic vicinorum omne genus, hic fa-
poriferas aromatum delicias, & universim
ea, quæ precium à peregrinate capiunt, ape-
rit invchítque flagitanti. Cetera, quæ de-
sideriis, atque etiam recreationibus, famulari
cultoris queunt, affatim ipsa copiosèque parit,
benigna, mitis, indulgens, usibúisque nostris
semper ancillans, & optima fide credita sceno-
ra reddens. Quippe, quæ tantum veteris est
oblita faciei, quantum nunc reliqua diffidet
ab horrore veteri Germania. Sunt enim suæ,
quemadmodum populis, ita populorum susten-
tatricibus terris, attributæ divinitus immuta-
tiones. Quæ nunc arbusta frugifera, canásque
segetes educunt, olim dumis obsitæ sentibú-
que, inamœna visentibus spectacula præbe-
bunt: rursus, quæ nunc asperæ audiunt in-
cultæque, aliquando molli gremio semina re-
condent, ac multiplicata restituent: in iis po-
maria conferentur, prata sepientur, horti riga-
buntur. Quas nunc horrens asperat iniquúmque
cœlum, aliàs blandum mitigabit ac salubre:
& quæ grata nitescunt temperie, nequicquam
olim purum æthera liquidúmque requirent.
Aliæ pulso fugatóque mari, Neptuno de regni
sui possessione controversiam movent: aliæ,
frustra mari minitantes, pars factæ sunt ejus,
quod pellere conabantur ac fugare. Senecam
audi,

audi, sub finem Consolationis ad Marciam: *Vetustas non hominibus solum (quota enim ista fortuita potentiae portio est) sed locis, sed regionibus, sed mundi partibus ludet.*

C A P. V.

Vitia prisca Caucorum telluris, quae nondum penitus hodierna consumpsit. Etenim paludosa. Moer. Mariscus. Pallio Bremensis comparata dioecesis. Plurima cultores accepere paludes. Inter quos, Hollandos vel imprimis. De privilegio, quod animos illis addidit. Commoda, quae infelicitatem suam uliginosa pensant. Ut, quod hostilium mora sunt atque sufflamina machinationum: unde crevit Romano, circa Visurgim Albinque bellanti, labor. Item, quod alendo foco materiam praebent. Incerti auctoris Ἰαυροῦ Ἰστορία. Terra nostra incendium. Cuius exempla, cum Frisia, vidit Ultrajectum. Aliud alicubi terra nostra vitium, sed an vitium? Quod sylvestris. Bederkesana nemora. Voluptas è sylvis. Earum interpellata plurifariam continuatio refutat sylvestria nobis exprobraturos. Non posse, nisi mixtam inamoenis, amoenitatem aestimari regionum.

Quanquam delectabilem uberrimamque nostri temporis esse Chaucidem constet, ea tamen nequaquam dissimulanda nobis erunt, quibus ipsa, plurimum ab antiqua Germania discedens, antiquae tamen utcunque vestigia Germaniae servat. Nam & agrorum pratorumque laetitiam alicubi paludum humida dispungunt,